



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXXVII. Vtrum Deus sit beatus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

nunquam potest, negatur Deum habere aliquam talem cognitionem formaliter. Solum namque habet æquivalenter, quoad totam eius perfectionem, demptis omnibus imperfectionibus, ut liquet ex dictis.

Art. 4. Circa postremum, quod obijciebatur, de casu possibilitatis eorum, quæ de facto sunt impossibilia, nihil superaddere necesse est. Quia Deus eodem modo est impossibilitas omnium re ipsa impossibilium, sicut est possibilitas omnium re ipsa possibilem, ut dictum est. Quapropter eadem ratione, quæ ostensum est repugnatum Deum, repugnante aliquo ex possibilibus de facto, ostenditur etiam repugnatum, non repugnante aliquo ex impossibilibus de facto. Quod obicitur in contrarium ex D. Th. eo modo exponendum est, quo ipse D. Thomas, exponit questio. 15. articul. 3. ad 2. dictum illud Philosophi 4. Topic. c. 2. *Quod potest Deus & studiosus prava agere.* Exponit autem ita, ut intelligatur quod Deus potest aliqua agere, quæ nunc prava videntur: quæ tamen si agerent, bona essent. Nempe intentio divi Thomæ, in verbis illis, & discursu objectionis ad hoc tendit, quod si darentur aliqua infinita actu, essent mensurabilia secundum scientiam Dei, non mensurabilitate, & scientia, quæ tum darentur, & modò non dantur, sed mensurabilitate, & scientia, quæ modò dantur, & quæ in se de facto continerent possibilitatem eorum infinitorum, quæ nobis videntur impossibilia. Nec enim asserit indifferentiam Dei, & scientiæ divinæ secundum se, seu quantum ex se præcisè, ad possibilitatem, & impossibilitatem infinitorum actu, sed solum in nostro intellectu, ad opinionem veram, & falsam, circa illa; quandoquidem D. Thom. sæpè docet neque possibilitatem, neque impossibilitatem ullam, aut ullam vllius generis veritatem necessariam, dari extra Deum, aut distinctam realiter à Deo, ut liquet inter alia, ex locis indicatis q. 2. Art. 4. & alibi non semel.



QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum Deus sit Beatus?



DETVR non esse Beatus. 1. quia beatitudo ex Boëtio 4. de consol. prof. 2. aliisque communiter, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Aggregatio autem bonorum, nec datur, nec dari potest in Deo, in quo nulla est compositio, nullaque partium, aut prædicamentorum distinctio. Ergo nec Beatitudo videtur esse in Deo.

2. De ratione felicitatis est, ut sit præmium virtutis, ex Philof. 1. Ethic. c. 9. Deus autem, sicut mereri nihil potest, ita præmium nullum consequi potest; ergo nec felicitatem habere potest.

3. Non sufficiunt ad beatitudinem ea præcisè bona, quæ sunt simpliciter necessaria ad esse, & conservari. Plus enim requiritur ad delicias, & ad summum gaudium, quæ sunt de conceptu beatitudinis, quam ad depulsionem summi mali, & extremæ miserie, quæ consistunt in non esse, & in totali interitu rei. Quæ de causa Beatitudo in sacris litteris dicitur merces magna nimis, necnon mensura bona, conferta, coagitata, & superfluens; id est, plurimum superaddens iis, quæ sunt omnino necessaria, & sine quibus vivere quis non possit. Deus autem nihil habet ultra ea, quæ sunt sibi omnino necessaria, ut sit, & conservetur. Dempto enim quolibet diuino, interit totus Deus. Ergo Deus non possidet tantum

bonorum, quantum sufficit ad Beatitudinem.

4. Princeps, adversus quem rebellant plerique eius subditi, eumque contemnunt, non est felix. Plerique autem homines rebellant adversus Deum, qui est Princeps omnium; eumque contemnunt, quia plerique homines peccant; atque peccatum, ex conceptu suo, est rebellio adversus Deum, & contemptus eiusdem. Ergo Deus non est felix.

5. Solitudo opponitur beatitudini, & pertinet ad miseriam solius, ut apparet ex 4. Ecclesiastici 10. *Vt soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Et rursus: *Vnus, quomodo calefiet?* Necesse igitur est, ut infelicis miserie frigore rigeat solus. Vnde Ierem. 15. 17. dicitur: *Solus sedebam.* Et c. 17. 4. *Relinqueris sola.* Convertendo utrobique solum, cum misero, ac infelici, quia videlicet, *Nequit vita esse incunda sine socio*, ut dicit Seneca. Vita vero beata est essentialiter incunda. Deus autem est essentialiter solus, utpote essentialiter vnicus, ut dictum est supra, & habetur Dan. 3. 45. *Quia tu es Dominus Deus solus*; idemque dicitur sæpe aliàs. Ergo Deus non agit vitam beatam.

Art. 1. Resp. Deus est perfectissimè, & summè Beatus, estque, per se ipsum præcisè, sua beatitudo obiectiva, & formalis, ut quod, & ut quo. Est quidem beatus ex 1. ad Timoth. 6. 15. *Beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Perfectissimè autem, quia adest sibi summum bonum, continens in se omnem omnis generis bonitatem puram, absque vlla imperfectione; adest verò essentialiter, & per identitatem realem, qui est modus summè perfectus habendi sufficientiam, & abundantiam omnis boni, adeoque sufficiens ad beatitudinem summè perfectam, quandoquidem beatitudo nihil est aliud, quam bonum perfectum naturæ intellectualis, quantum perfectè habitum, ac possessum ab eadem. Ob hoc ipsum Deus est sua beatitudo, & obiectiva, & formalis, ut quod, & ut quo; quia per se ipsum est summum, ac infinitum bonum, & similiter per se ipsum, est intellectio comprehensiva, & amor comprehensivus eiusdem boni; id est, summa ipsius possessio, & fruitio, quibus actibus constituitur beatitudo, ut quo, tum essentialiter, tum integraliter, seu quasi integraliter, & quoad ultimum complementum.

Art. 2. Licet autem hæc omnia sint indistincta in Deo, non solum realiter, sed etiam virtualiter intrinsicè, ut liquet ex q. 4. ideoque Deus sit æquè, eodemque modo beatus, obiectivè, & reipsa, per omnia, quæ sunt in Deo; ratione tamen nostra, & ex modo nostro concipiendi, beatitudo formalis Dei consistit essentialiter in solo actu intellectus, quo se ipsum comprehendit, ut docet D. Thom. q. 26. art. 2. Quia beatitudo creata, quoad suum realem, & obiectivum conceptum essentialem, consistit primariò, & in recto, in solo actu intellectus, quo videtur Deus, ut est in se, utpote perfectissimo inter omnes operationes creatas, atque possessivo vnice summi boni, ut dicit ibidem D. Thom. & ostendatur cum eodem in qq. de beatit. Prædicata autem, & attributa Dei distinguuntur, ordinantur, & constituuntur inter se, ratione nostra, & secundum modum nostrum concipiendi, iuxta realem distinctionem, ordinem, & constitutionem rerum creatarum, quibus illa sunt assimilata. Formalis igitur beatitudo Dei consistit, ratione nostra, in solo actu intellectus, quo intellectualiter, atque adeò modo proprio naturæ intellectualis, possidet se ipsum, & exercet operationem perfectissimam, propriam eiusdem naturæ intellectualis.

Art. 3. Inter beatitudinem obiectivam, & formalem

malem Dei, est hoc præterea discrimen ratione nostra, quod beatitudo formalis est talis beatitudo solius Dei, & non aliorum à Deo: beatitudo verò obiectiua Dei, simul est beatitudo cæterorum omnium tam perfectè, & simpliciter beatorum, quàm beatorum falso, & secundum quid tantum. Quia intellectione diuina solus intelligit ipse Deus, nullusque alius potest reddi intelligens per illam, vt habetur quæst. 27. de Incarn. Operationem autem perfectissimam, atque aded beatificam nulla natura intellectualis exercere potest, nisi circa obiectum perfectissimum, quod est Deus, continens in se omnem omnis generis bonitatem, demptis imperfectioibus, in quibus formaliter, vt talibus, nemo collocat, nec collocare potest suam beatitudinem, seu veram, seu fictam, simpliciter, aut secundum quid talem. Vnde beatitudo obiectiua Dei, id est, omnis bonitas diuina, prout includit ipsam quoque beatitudinem formalem diuinam, quæ simul habet rationem beatitudinis obiectiua, propter perfectam reflexionem supra se ipsam, simul est beatitudo obiectiua cæterorum omnium, atque in beatitudine Dei, includitur, vel formaliter, vel certè eminenter, & perfectiùs omnis alia beatitudo, vt docet D. Thom. vbi supra art. 3. & 4. Deus igitur est superabundanter beatus, vtpote non solum sibi, sed etiam omnibus aliis sufficiens ad perfectam felicitatem, & beatitudinem.

Ad 1. Quæ sunt diuina per omnes, Deus collecta tenet indiuisim, substituta identitate aggregationi bonorum omnium, id est, perfectissima bonorum coniunctione experte omnis imperfectiois, coniunctioni imperfectæ bonorum, & indigenti pluribus pro cumulo bonitatis sufficientis ad beatitudinem vndeque completam.

Ad 2. Quod beatitudo creata, de qua loquitur Philosophus, habeat rationem præmij, provenit ex imperfectione creaturæ, non habentis ex se præcisè dignitatem, & sufficientiam beatitudinis, ideoque indigentis operationibus bonis, quibus illam acquirit, sicut indiget productione reali, vt habeat esse. Sicut igitur Deus est à se, ideoque est perfectissimè absque productione reali, ita est perfectissimè beatus absque operatione meritoria beatitudinis. Quia est beatus à se, & ex se præcisè, habetque ex essentia sua, dignitatem, & sufficientiam beatitudinis. Vnde etiam pater ad tertium, quia, sicut est essentiale Deo vt sit, ita est eidem essentiale, vt abundet omni bono, ideoque non pluribus indiget, vt sit beatus, quàm vt sit simpliciter. Cuius oppositum accidit in substantia creata, vtpote non sufficienti sibi ad totum suum bene esse, per solum suum esse, ideoque pluribus indigenti, vt sit felix, quàm vt sit simpliciter.

Ad 4. D. Gregorius lib. 32. moral. cap. 5. circa illud psal. 92. *Dominus regnavit, decorem induit*, rectè pronuntiat, *Ipsè gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accidentis laudis indigens non est*; quia videlicet Deus sibi se solo sufficit, cum ex se præcisè sit omne bonum; vnde nulla accessione fit locupletior, nullisque iniuriis, ac offensis vilescit, aut deterius habet. *Si enim iniquè egeris, quid noceris ei?* Princeps autem creatus non sufficit sibi se solo, sed indiget obedientia, & obsequio subditorum, potestque ab eisdem multipliciter vexari, impediri à consecutione eorum, quæ efficaciter intendit, & quibus indiget, atque redigi in vltimam vilitatem, miseriamque temporalem. Quorum nihil accidere Deo potest, qui potest, & emendare, & annihilare peccantes, impedire, quominus peccent, & punire ad æqualitatem, postquam peccauerint. Nulla igitur est paritas.

Ad 5. Ratio, ob quam apud Ecclesiastem infelicitas est deuincta solitudini, non militat, respectu Dei,

qui cadere non potest, ideoque nec subleuante opus habet. Deinde substantiæ creatæ indigent multis subsidiis propter multiplicem indigentiam atque insufficientiam, vniuersumque seorsim, & secundum se. Deus autem se solo est bonum vndequeque sufficientissimum, vt sæpè dictum est. Ergo Deus se solo est summè beatus, tametsi alij absque sociis beati esse non possint. Denique, tametsi Deus sit solus, & vnicus secundum essentiam, est nihilominus trinus in personis, quæ seipsis inuicem suauissimè perfruntur, per summam bonorum omnium communicationem mutuam, qualem societatis felicitatem nulli alij habere possunt. Quod mysterium aggrediemur iam explicandum, iis omnibus vtemur quæ expositis, & absolutis, ad quæ ratio naturalis aliquantulum pertingere potest; Cum ad mysterium Trinitatis soli pateat aditus fidei, quæ est natura posterior, & obscurior, quàm ratio naturalis.



QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum Diuinitas, ratione sua infinitatis, posset identificari realiter cum predicatis realiter inter se distinctis, ideoque non repugnet Mysterium Trinitatis Diuine.



IDEVTR repugnare istud mysterium, & illa identitas. Primò. Quia, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se; & e conuerso, ea, quorum alterum est idem, alterum non est idem vni, & eidem, distinguuntur inter se. Quod est principium per se notum lumine naturæ, & vt tale traditur à Philosopho 7. Top. c. 1. atque ab aliis communiter. Impossibile igitur est, Personas identificatas cum vna eademque natura diuina, esse nihilominus distinctas inter se; & e conuerso, naturam diuinam identificari cum persona Filij, cum qua non identificatur persona Patris, & nihilominus eandem naturam identificari cum eadem Patris Persona. Igitur mysterium diuinæ Trinitatis, non solum est supra rationem naturalem, vt dicunt communiter SS. PP. ac Theologi, sed etiam est contra rationem naturalem, vt conuincit ratio proposita. Nulla autem veritas, siue sit propria obiecti finiti, siue infiniti, est contraria rationi naturali, licet plures veritates sint supra eandem. Quia ratio naturalis adequatè sumpta, est participatrix diuini luminis, & centrum eius est veritas in communi; atque beatitudo eiusdem, quæ nequit esse contraria beatificato, est veritas, diuini esse, vt est in se ipso. Ergò mysterium diuinæ Trinitatis non est verum, neque ad veritatem eius innuare quidquam potest infinitas propria diuinitatis.

2. Eodem pertinet aliud simile principium, nempe, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subiecto; & vice versa; quidquid negatur de subiecto, iuxta regulas celebres, *Dici de omni, Dici de nullo*, quas tradit Philosophus 1. Prior. cap. 4. & seqq. iisdemque vtitur ibidem, & toto lib. 2. tanquam fundamento vnico totius artis syllogisticæ, & tanquam primo principio per se noto, quo nititur omnis vis syllogismorum ad concludendum. Ergo si quidem de

Patre